



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae De Certitudine Morali Quam habere  
debet Confessarius de dispositione Poenitentis, ut eum  
sepositâ justâ necessitate licitè absolvat**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1685?]**

Præfatio.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10951917-8**

calum esse potest, quam quod Inquisitio illa Toletana pro primâ causâ, credatur ergo quod pro præcipuâ, condemnationis *Methodi* alleget in eâ *Methodo* contineri propositiones in Janfenio condemnatas? Siquidem in tantâ Adversariorum etiam ad hoc non semel provocatorum multitudi ne, nullus hæctenus potuit, nedum poterit noster ELOQUENTIAE PROFESSOR ejusmodi propositionem vel unam in *Methodo* designare.

## A P P E N D I X ADVERSUS LIBELLUM CUI TITULUS FIDELIS RELATIO. P R Æ F A T I O.

**E**Undem illum, quem in *Thesibus* nostris quibus hac *Appendix* adjungitur, passim vocavimus PROFESSOREM ELOQUENTIAE, deinceps non nisi FIDELIEM RELATOREM nominabimus, quia ut ante monuimus libellum suum FIDELIEM RELATIONEM intitulare ausus fuit, in quo quinque puncta omnia ad questionem facti spectantia mihi imputat, verè an falsò aut etiam mendaciter tuum erit, benigne Lector, perlectâ hæc nostrâ *Appendice*, ex testimoniis & animadversionibus hæc allegandis judicare.

### C O N C L U S I O P R I M A.

FIDELIS RELATOR conatur toti mundo persuadere, me tradidisse doctrinam quandam de sigillo Confessionis, quam reverà numquam tradidi, sed veluti certo falsam habui à primo momento, quo de illa cogitare cœpi, id est, ex quo per FIDELIEM istum RELATOREM mihi eam adscribi intellexi, ante enim de illa numquam incidit cogitatio.

§. I.

*Exprimitur ista doctrina de sigillo, & subjunguntur nostra adversus illam protestationes.*

**V**erbis subsequentiis mihi imputatur, & describitur doctrina de qua quæstio: "D. HUYGENS docet quòd Confessarius ex solâ Confessione sciens peccatum alicujus occultum carnis, non solum non posset dare ipsi testimonium ad Pastorum v. g. Begginagii, sed etiam deberet positivè impedire, ne ad dictum Pastorum promoveretur, ne mitteret Lupum inter Oves. Objiciebatur, quomodò Exim. D. hoc posset facere sine fractione sigilli? Resp. Eximius: conveniens modus foret, si Confessarius Episcopo scriberet, quod talis N. N. ad dictum Pastorum esset inidoneus, quòd non deberet illum ad Pastorum promovere, Confessarius autem nomen suum non signaret. Tunc Theologus assumpsit, quòd modus ille esset inefficax; quia epistolæ anonymæ Episcopus non potest dare fidem, imò ne quidem libellis anonymis impressis, & sic inimici & concurrentes possent de unoquoque viro probo talia scribere. Eximius reposuit: quòd Episcopus majorem interim curam adhiberet. Adversus hanc doctrinam protestatus sum in *Thesidie* 30. Julii 1682. defensa his verbis: *Quod à nullo Belgii Theologo Catholico doctrina ista tradita fuerit, existimamus: quòd non ad illo cui imponitur, certissimè scimus. Mirum equidem, si quis eam traditam unquam fuisse asseruerit; & præcipuè, si publicè, cur, ubi tanta fuerit testium multitudo, non allegat saltem duorum testimonia testium subscriptione, & aliis qua in judicio fidem faciant munita. Quòd si quispiam fecerit (quamvis numquam facturum credimus)*

per